

DOCTISSIMO ET HUMANISSIMO
 uiro domino Iacobo Milichio Medicinæ do-
 ctori, suo patrono obseruando, Michael
 Stifelius salutem dicit.



Redo te credere, uir humanissime, quòd ne-
 mini mortaliũ magis gratificari studuerim
 meo hoc labore, quàm tibi. Satis hoc testatur
 liber magnus ille, qui occasionem præbuit,
 ut ista mea Arithmetica tandem æderetur.
 Illum enim tui gratia scripseram, te neq; iu-
 bente neq; rogante, sed sponte mea, quate-
 nus tibi diligentiam meam testatam facerem: qua ex paucis
 Arithmeticæ præceptis, quæ à te acceperam, tantam potuerim
 (Deo sic dante) copiam exprimere. Videre enim potes, quãta
 copia illam unicam regulam tuam de inuentione digitorum,
 sub extractione radicum cubicarum, adauxerim in lib. primo,
 cum præter eam nihil haberem, quo iuuari possem ad inuenien-
 das radicum surdesolidarum & bsurdesolidarum extractiones.
 Videbam quidem Apianum ista scire, sed ille prorsus nihil do-
 cebat de ea re, nisi q; puncta signanda significabat. Quid uero
 nunc promouerim hoc libro secundo, tuo iudicio committo
 decernendum. Cum autem scriptus fuisset liber ille, cuius iam
 paulo superius memini, & nihil interim minus cogitarẽ, quàm
 ut huiusmodi studia mea aliquando proditura essent in lucem,
 accidit forte, ut dominus doctor Iustus Jonas ad me quadam
 nocte declinaret in hospitium, uir uidelicet, cuius ego comitatẽ
 & facilitatem erga inferiores se, satis mirari nequeam, & ego ei
 (cum hilaris essem super tanto hospite) proderem illum librũ,
 promisit se operam daturum quatenus typis excusus æderetur,
 quòd uideret eum esse refertum tam uarijs Algorithmis, bona
 copia exemplorũ probatis. Id quod ipse postea præstitit egre-
 gia sedulitate ac fide. Vnde sicut causam præcipuam & primã,
 C. ij. quòd